





DISSERTATIO EPISTOLARIS
DE
CONTRACTV SOCIDAE

QVA

V I R O

ILLVSTRI EXCELLENTISSIMOQVE
GOTTLIEB BERTRAM

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS
AVLAE ET CVRSVVM PVBLICORVM CONSILIARIO

ETC. ETC.

P A T R I

SVMMA PIETATE COLENDO

N A T A L E M LIII.

GRATVLTVR

FILIVS OBEDIENTISSIMVS

CHRISTIANVS AVGVSTVS BERTRAM

BEROLINENSIS.

HALAE,

LITTERIS BEYERIANIS. 1774.

Ke 215

2



V I R O
MAXIME VENERANDO
PATRI HONORATISSIMO
DILECTISSIMO INDVLGENTISSIMOQVE

S. P. D.

C. A. BERTRAM.



Nulla quidem occasio mihi ex hoc
Musarum delubro mox disces-
suro opportunior est visa,
qua TIBI, PATER OPTIME, rationem studio-

X 2

rum

rum meorum reddere possim, quam si hacce
pertractatione hujus Juris Civilis materiae ho-
die eo defungar officio. Non eloquar ore
alieno, sed sententias TIBI proferam ex quale-
cunque ingenio meo haustas. Alii aliena pro
suis venditent! Quis non rideat homines, qui
juris scientiae duos aut tres annos leviter ope-
ram dederunt, superbum tollunt supercilium,
omnium expectationem aucupantur, et dum
digito praetereuntium novarum rerum inven-
tores monstrari cupiunt, alienas pennas jacti-
tant, et quam miserrime plana in via offendunt
et labuntur? Satis eos profecisse credo, qui an-
nos academicos ita consumserunt, ut artis suae
fundamentis rite positis non ignorent, quo mo-
do reliquas aedificii partes bene et eleganter
per-

perficiant. Plura a juvene expectare vanum ef-
fet, immo perniciosum, quia facile inde eve-
nire possët, ut multi aliena ab officio per glo-
riationem factitent. Quare libellum hunc,
quem TIBI confecro, non ita accipias, PATER
OPTIME, ut Grammatici vel Critici farinae vi-
lioris solent, qui mihi quidem non valde discre-
pare videntur ab *Ardelionum* natione, de qua
pulchre *Phaedrus* ait: *Trepide concurrere,
occupatam esse in otio, gratis anbelare, mul-
ta agendo nil agere sibi molestam et aliis odio-
sissimam.* Verum ita accipias rogo, ut Coloni-
villae suae accipere solent primitias. TIBI stu-
dia mea probari cupio.

Caeterum sane actum agerem remque
centies dictam repeterem, si hoc loco, hoc die

verba facerem de grato illo, quem parentibus debemus, animo. Quidni enim risum excitent illi, qui omnia argumenta anxie corradunt ad tuenda ea, de quibus nemo sanus unquam dubitavit? Nunquam enim a me impetrare potui, ut ad eorum *Elegantiorum* forte opinionem accederem, qui arctissimum illud animorum vinculum, quo parentes et liberi continentur, inter immoratas aut si mavis feras Orientis gentes locum habere nullum arbitrantur. Universales enim sunt, quas ipsa natura dicitur, leges! Qua de causa nihil dicam de patrio, quo me complecteris amore, et quid ego TIBI PATER HONORATISSIME, debeam pro institutione, quam mihi a teneris unguiculis liberalissime dedisti.


Gr-

Gratulor vero tibi hodie de tuo natali,
quem laetus etiam absens celebros inter infinita
Dei munera reducem. Magnum sane, et quod
vix verbis exprimi potest, gaudium percipit
animus meus, quoties diem XVIII. Feb. quo na-
tus es, praevidet. Nullus totius anni hoc die
jucundior mihi est nec exoptatior. Utinam illo
sincerrimam meam in te mentem summamque,
qua te colo, pietatem quam diutissime signifi-
care possem. Cum quanta sit apud immorta-
lem Deum precum vis atque potestas, probe
scio, nunquam intermittam, eum ardentissimis
efflagitare precibus, ut te, GENITOR OPTIME,
salvum, sospitem atque incolumen cum SVAVIS-
SIMA MATRE per longissimam annorum seriem
praestet. Vive felix et diu in nostrae familiae
hono-

honorem, in Venerandae matris solatium,
et nostrorum omnium emolumentum. Fortu-
natum me puto! si aliquando colloquiis PATRIS
SENICIS interesse possim.

Quod reliquum est, TE, PARENS LONGE
INDVLGENTISSIME, peto atque rogo, ut et
imposterum mihi illum, quem hucusque exper-
tus sum, amorem conserues, neque de novo
TIBI Tuaevae benevolentiae commendatissi-
mum habeas, consiliisque paternis assistas. Va-
le et res tuas feliciter age. Scripsi Halae Sa-
xonum in Alma Fridericiana d. XVI. Febr.
MDCCLXXIV.

Vt



Vi itaque rationem studiorum meorum Iuridico-
rum reddam, constitui apud animum, quaedam
de *contractu Socidae* commentari. Et quamvis

LAELIVS ZECHIVS in *Tract. de Usuris. Frfri.* 1598. 8.

MICH. SEBASTIANI in *Accusatione in Socidam, vulgo: medium lucrum.*
Caesarang. 1614. 4.

IO. OTTO TABOR in *Tract. de contractu et iure socidae. sive, Comment. Sy-*
nopt. ad L. si pascenda, 8. C. de pactis. Inter ejus opera. Volum. 1.
p. 127-151.

BYRCH. HENR. TILMANN in *diff. de contractu socidae. Jenae* 1672.

ANDR. HOMBORG in *diff. de contractu socidae. Helmstad.* 1685.

CHRISTOH. ANDR. EISEN in *diff. de rebus ac personis ferreis. Altorf.*
1703. et

GEORG. BEYER in *delineatione Juris Germanici, L. II. Cap. 22.*

ex professo de hoc contractus genere egerunt; vindemiam tamen
post messem aliis reliquerunt.

A

Ori-



Originem huius contractus alii Gallis tribuunt, ut MOR-
 NACIVS ad L. 8. C. de pact. et ad L. 52. §. 1. D. pro socio. Alii
 Italii, ut PETR. DOMINICVS DE MVSSIS (NOBILIS PLACENT.) in
 formulis instrumentalibus. voc. *Socida*. nec non LAEL. ZECHIVS
 in tract. de usuris. c. 7. n. 7. Alii Germanis, ut CARPZOVIVS,
 P. II. C. 37. definit. 19. Sed admodum probabile est, quod Ro-
 manis ejusmodi pactum jam cognitum fuerit, uti colligere licet ex
 argumento L. 8. C. de pactis, a quibus postea in alias quoque
 provincias, et sic etiam in Germaniam transit.

Vocabulum *Socidae* (quod etiam *Soccida*, *Socitia*, *Soc-
 ita*, vocatur, vid. DU FRESNE *Glossarium*, v. *Socida*; et LEI-
 SER in *jure Georgico*. L. 2. c. 14. inde contrahentes *Socidarii*, di-
 cuntur;) varie derivari notum est; et GEORG. BEYER l. c. §. 2. au-
 tumat, optime derivari posse a *societate*, sed hoc falsum est.
 Nam primo *socidae* nomen in sensu speciali usurpatum est pro
 contractu circa oves inito, postea vero in genere de quovis con-
 tractu circa animalia inito, proinde hic contractus apud Germa-
 nos vocatur, ein halber Gewinn, et Itali dicunt: *dare le pecore
 in socida*, i. e. die Schaafse auf halben Gewinn geben.

Contractus *Socidae* vero vel generaliter ita dicitur, qui
 denotat omnem contractum circa animalia initum, vel om-
 nes sub se comprehendit contractus, qui circa animalia
 in-



ineuntur. Varie itaque sunt contractus socidae species, nimirum:

1) *Locatio conductio*, quae duplex esse potest. *Regularis*, quando certus pecudum numerus alicui locatur, ut conductor omnem utilitatem percipiat, et pro ea certam proportionatam mercedem in pecunia numerata consistentem solvat, periculum vero ad dominum vel locatorem pertineat: Et *irregularis*, si certus animalium numerus pro viliori mercede, aut parte quadam fructuum ita alicui locatur, ut conductor solus omne periculum, omnesque casus fortuitos in se suscipere teneatur. Et posterior haec locatio in specie et proprie *Socida* dicitur.

Vid. TABOR l. c. C. 5. §. 5.

2) *Mutuum*, si certus animalium aestimatorum numerus, ita alicui traditur, ut, certo tempore elapso, vel alia animalia ejusdem bonitatis et numeri, vel loco eorum aestimatio creditori restituatur. Effectus itaque hujus distinctionis hic est, quod cum regulariter dominium rei mutuo datae in debitorem transferatur, hic in contractu *Socidae* illud penes creditorem remaneat.

3) Per modum *custodiae*, si dominus animalia sua opilioni, vel alii custodienda tradit, assignata ipsi certa mercede pro



opera, quae in pecunia numerata consistit. Hoc nihil aliud est, quam locatio operarum.

4) Per modum *societatis*, quod iterum duplici modo fieri potest.

a) Ita, ut alter pecora custodiat, et fructus inter illum et dominum fiant communes, dominium autem animalium commune non fiat. Hic contractus jam olim apud Romanos invaluit

Vid. L. 8. C. de pactis

conf. TABOR l. c. C. II. §. 9. seqq.

STRYK in Usu mod. L. 19. tit. 2. §. 10.

b) Vel ita, ut opilio etiam certum numerum ovium conferat, et cum ovibus, quae ipsi custodiendae traduntur, jungat, hac conditione, ut opilio, vel pastor ovium damnum et lucrum secundum proportionem quantitatis collatae cum domino partiatur. Hae oves dicuntur *das Menge-Vieh*, it. *Vorvieh*. Et hic contractus in Germania admodum frequens est.

Vid. SCHIGKEVS in Chronico Silesiaco L. 3. pag. 372.

Magdeburg. Polizeiordnung Cap. 35. §. 5. seqq.

Oberlausitzische Landesordnung tit. 5. §. 5.

cf. RHETIVS in diss. de asturiis Opilionum. The. 9. seqq.

STRUVIUS in diss. de jure ovium, Sect. 1. C. 4. §. 30. seqq.

Contractus *Socidae* quoque est *specialis* vel sumitur in sensu speciali, et est conventio, qua certus animalium aestimatorum

nu-

numerus pro vilissima mercede, aut certa fructuum parte ita alicui locatur, ut finito contractu eundem numerum animalium domino restituat, atque adeo periculum animalium ferat, etsi quaedam ex illis perierint, vel alia in eorundem locum substituat, vel aestimationem illorum praestet.

Vid. STRUVIUS, *Exerc. 24. th. 14.*

CARPZOVIVS *ad P. II. Const. 37. def. 19.*

LEISER *in Jure Georgico L. II. cap. 14. n. 46.*

Ejusmodi animalia dicuntur ferrea, eiseru Vieh, stählern Vieh, oder auch gemachtes Vieh, vid. STRYKII *diff. de diverso Colonorum jure. §. 7.* De rebus vero et personis ferreis, occasione nominis sui ex professo egit

EISEN *in diff. jam excitata de rebus ac personis ferreis.*

Animalia itaque ferrea, quae perpetuo praedii cujusdam usui destinata sunt, pro immobilibus habentur, cum omnia mobilia perpetui usus gratia rei immobili juncta pro immobilibus fictione juris habeantur. p. L. 17. §. 7. D. de A. E. U. cf. EISEN. *diff. cit. §. 24.* Reliqua animalia ferrea, quae perpetuo usui destinata non sunt, immobilibus annumerari non possunt, quia sola perpetuitas et duratio non efficit, ut res mobiles fiant immobiles. vid. HOMBORG *in all. diff. §. 29.* Hinc oves ferreae sub pacto *Socidae* locatae recte ad Geradam Nobilium referuntur.

Consistit autem differentia specifica contractus *Socidae* in eo, quod conductor omne periculum in se suscipiat, omnes



que casus fortuitos, ideoque haec animalia domino suo non pereant. Neque respicitur, *an numerus ex foetura suppleri possit, nec non?* Et hac ratione differt ab usufructu; usufructuarius enim etiam numerum animalium in usufructum datorum suppleri tenetur, aut non, nisi ex foetura. Hinc ejusmodi animalia in inventarium rediguntur et taxantur, seu, aestimantur, et conductori electio competit, an deficientia capita in natura restituere, an eorum aestimationem praestare malit: dominium autem penes locatorem manet. Hinc orto concursu locator animalia adhuc existentia Jure Dominii sibi vindicat, ratione deficientium autem chirographariis adnumeratur.

Vid. LEISER in *Jure Georgico*. L. II. C. 14. n. 47. 48.

STRYK in *all. diff.* §. 7. 8.

BERGER in *Responsis*. L. II. Resp. 216. p. 380.

Cum in contractu *Socidae* conductor regulariter omne periculum in se recipit; ergo quoque restituere tenetur capita deficientia, et quidem

- 1) si ab hostibus, aut praedonibus rapti sint, vel alia vi majori perierint.

V. LEISER *l. c.* L. II. Cap. 14. no. 47.

- 2) Si ruina stabuli perierint.
- 3) Si contagione universali perierint; imo de insolitissimis quoque casibus tenetur conductor, certum animalium numerum sub pacto *Socidae* recipiens.

Vid. BERGER in *Oeconomia Jur.* L. III. tit. 5. §. 22. n. 9.

Hinc

Hinc cautelae est, ut conductor quosdam casus fortuitos, quos recipere velit, exprimat, reliquos, et in specie insolitissimos, expresse excipiat.

Hic contractus cum aliis locationibus in eo convenit:

1) quod conductor omnia emolumenta et commoda percipiat, hinc ipsi lana, lac, foetus, imo sterces competit.

2) Quod ad certam mercedem locatori solvendam obligetur.

Differt autem ab eis:

a) Quod merces saepe sit vilissima, in aliis autem proportionata esse debeat, cum alias actioni ex L. 2. C. de rescind. vendit. locus sit. Neque merces necessario in parata pecunia, sed quandoque etiam in parte fructuum consistat.

b) Quod conductor omne periculum in se suscipiat, cum alias regulariter res suo domino pereat.

Plerumque creditur, hunc contractum praecipue in oviliis, in Schäfereien, contrahi, quae vox: Schäferi, tanquam nomen universale sumitur. Sed objectum contractus *Socidae* non solum sunt oves, sed alia quoque animalia, ut, boves, vaccae, fues, caprae, anseres, gallinae, anates, scilicet ea, quae gregatim pascuntur.

vid.



vid. BESOLDI *Thes. voc. Eisen Vieh.*
HOMBORG. *all. diff.* §. 24. et 32.

Porro hic notandum est, quod certus animalium numerus sub pacto *Socidae* locari possit, vel una cum praedio, vel sine eo. Prius tamen locationis genus in Germania frequentius est.

Multi ICri contractum *Socidae* usurariis adscribunt, imo leoninam societatem esse putant, quia unus omne lucrum capiat; alter vero omne damnum in se suscipiat; siquidem

HVSANVS *de hominibus propriis.* C. 8. n. 10.

PISTORIS *Consil.* II. n. 3.

MOELLER *ad Constir. Elect. Saxon. Parr. III. Constir.* 33. n. 12.

aliique pro et contra disceptant; sed contraria sententia verior est. Nam

- 1) Hic contractus non est species societatis, sed locationis.
- 2) Neque unus omne lucrum capit, conductor enim insigne quoque lucrum percipit, cum grege utatur, fruatur pro vilissimo pretio locato.
- 3) Pactum de recipiendo periculo Juri Naturae, Civili et Germanico conveniens licitumque est.

v. L. 23. in f. D. de R. J.

L. 7. §. 15. D. de pactis.

L. 11. §. 18. D. de A. E. V.

L. 6. C. de pignorat. act.

- 4) Accedit praxis et observantia, cum etiam in Legibus expressis de hoc contractu quaedam cauta inveniuntur.

vid. CARPZOVIVS, *ad P. II. Const.* 37. *def.* 19.

TABOR *c. diff.* C. 5.

TELEMANN *all. diff.* M. 1. *Sect.* 1.

Quid

Quidquid etiam *Rada*, Theologus et Casuista, in Compendio Summae Cardinalis Toleriani, D. 7. praecepto, C. 4. contra disputat, qui statuit: Usurariam pravitatem hanc Socidam, seu, societatem redolere. Cui quoque et alii adstipulantur, quos adducit IO PETR. ACTOLINVS. *Resol: II.*

Cum regulariter feudum in rebus immobilibus constituitur, quaeritur tamen nihilominus: An etiam certus animalium numerus in feudum dari possit? Affirmanda omnino est haec quaestio, idque duplici ratione fieri potest:

- 1) Si una cum praedio certus animalium numerus in feudum detur, et tunc est feudum proprium, quia hoc casu animalium numerus pro re immobili fictione Juris tali habendus, cum perpetuo certi praedii usui destinatus sit.
- 2) Si separatim in feudum detur. Hoc casu autem feudum est improprium, quia numerus animalium hic pro re immobili haberi nequit, cum perpetuo usui destinatus non sit.

vid. *WVMSER de Feudis Improp. Concl. 3. S. 4.*

Et hic Vasallus cautionem praestare tenetur, semper eundem animalium numerum adfuturum esse, quia Dominus sperare potest, eum ad se aliquando reversurum fore.

B

Quae-



Quaeritur etiam: An Vafallus, ejusque haeredes finito feudo vero numerum pecudum in feudum acceptum supplere restituereque teneantur? Quod iridem affirmandum est. Vafallus etenim, soluto nexu vafallitico eundem numerum animalium, aut eorundem aestimationem restituere tenetur; hinc etiam cautionem praestat.

Quaeri etiam hac occasione solet: Si alicui pagus in feudum datur sub hac formula: *Mit allen dem, so dazü gehöret*, an etiam jus pascendi sub ea comprehensum sit? Quamvis autem varie inter ICtos desuper disceptatum fuerit, et *RICHTERVS Vol II. Consil: 80.* affirmativam amplecti videatur, haec tamen quaestio fere inanis est, cum in omnibus literis Investiturarum Jura in feudum concessa exprimi soleant nominatenus. Posito etenim, quod aliquando casus Investiturae ejusmodi generalis existat, an etiam Jus pascendi sub ea comprehendi possit. Quidam ICti hanc quaestionem affirmant; sed opus potius est, ut distingua- tur: jus pascendi enim exercetur, vel in fundo proprio, vel in fundo alieno. Jus pascendi, quod in fundo proprio exercetur, accessorium est omnium praediorum tam nobilium quam ignobili- um, quia agricultura sine pecoribus exerceri, haec autem sine pascuis et pratis ali nequeunt. Jus pascendi autem, quod in alio fundo exercetur, nemini competit, nisi vi servitutis legitime ac- quisitae. Hinc sequitur, quod jus pascendi in fundo proprio quidem sub generali Investitura contineatur, non vero Jus pascen-
di

di in praediis alienis exercendum. Adeoque Jus pascendi exerceri non potest in feudis vicinorum, aut subditorum, nisi vi servitutis legitime acquisitae. Haec vero servitus in literis Investiturae constitui nequit, quia neque Princeps servitutum constituere potest, invito fervientis praedii domino. Idcirco frustranea est mentio hujus Juris in literis Investiturae facti, si praedium, quod in feudum conceditur, non antea jam ejusmodi servitutem vel pacto, vel per praescriptionem legitime acquisivit, tunc enim haec servitus cum praedio etiam in feudum dari potest.

vid. Theatrum servitutum T. 10. §. 15.

An in grege Emphyteusis constitui possit, et an ejusmodi contractus sit *Socida*? Id statuit STRYK in Ufu. Mod. D. rit locati conducti. §. 8 - 11. et cum eo TABOR l. c. Sed haec quaestio est neganda, nisi grex cum praedio concedatur: tunc enim fictione juris inter res immobiles refertur. Si separatim et absque praedio grex conceditur; tunc non est Emphyteusis, quia natura Emphyteusos in eo consistit, quod Emphyteuta fundum emphyteuticum meliorem reddere teneatur, certus autem animalium numerus in eadem bonitate et quantitate restituendus meliorationem non recipit.

Sed haec pro instituti ratione sufficiant, cum haec dissertatiuncula epistolica tantum sit quaecunque specimen meorum studiorum Juridicorum.

Ke 215

VD 18


ULB Halle

3

006 762 247







B.I.G.

Farbkarte #13

7

DISSERTATIO EPISTOLARIS

DE

CONTRACTV SOCIDAE

QVA

V I R O

ILLVSTRI EXCELLENTISSIMOQVE

GOTTLIEB BERTRAM

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS
AVLAE ET CVRSVVM PVBLICORVM CONSILIARIO

ETC. ETC.

P A T R I

SVMMA PIETATE COLENDO


N A T A L E M LIII.

GRATVLATVR

FILIVS OBEDIENTISSIMVS

CHRISTIANVS AVGVSTVS BERTRAM

BEROLINENSIS.



HALAE,

LITTERIS BEYERIANIS. 1774.

KB 215

